



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

ab Officii recitatione causæ excusantes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

beneficiam, jure communi retineri possunt, si ab iisdem titulo donationis sine fraude seu collusionem absentem restituantur. *ibid. num. 10. & 11.*

*Causa excusantes à recitatione horarum:*

95. Infirmas gravis, ob quam pronuntiatio verborum valde noceret valetudini corporis, excusat à recitatione divini officii. Quando dubitatur an infirmitas gravis sit aut levis, standum est iudicio Medici, qui si dubitet an infirmitas gravis sit aut levis, non est obligatio recitandi officium. *ibid. quest. 6. punct. 1. nu. 1. 4. & 5.*

96. Infirmus transacta infirmitate non tenetur officium commissum repetere, *ibid. num. 6.*

97. Qui per se ipsum divinum officium recitare nequit, non tenetur per alium; neque tenetur alias orationes substituere, aut alium recitantem audire. *ibid. nu. 7. & 8.*

98. Peregrinatio ad loca pia non eximit à privata officii recitatione, etiamsi peregrinus alium in sui locum substituit; nam onus divini officii est personale. *ibid. num. 9.*

99. Facilius quis potest ab assistentia in choro quam à privata recitatione excusari, *ibid. nu. 3.*

100. Gravis occupatio, honesta & necessaria, quæ in aliud tempus commodè differri non possit absque scandalo, vel peccato, vel detrimento sui vel proximi, (hoc titulo aliquando excusantur Concionatores, vel Confessarii) excusat ab onere divini officii; tenetur tamen gravi occupatione detentus divinum officium anticipatè persolvere, quoties occupatio anticipatam recitationem permittit. Et beneficiarius aliusve divini officii onere detentus, non potest sine iusta & rationabili causa voluntariè suscipere negotium cum officii recitatione incompossibile; modò non adsit gravis aliqua necessitas, seu modo actio suscepta non putetur hic & nunc majus bonum. *ibid. punct. 2. nu. 1. & seq.*

101. Impotentia (qualis est carentia inculpabilis Breviarii, aut impotentia loquendi,) excusat à recitatione divini officii, servatis impotentiae terminis & limitibus: propterea cæcus aliusve simili defectu obstrictus divinum officium recitare non tenetur, dum ob cæcitatem officium recitare nequit. Idem aliqui censent, etiamsi aliquam partem recitare valeat, non verò totum officium, aut integram horam:

H h

sed

sed contrarium probabilius videtur. *ibid. num. 4 & seq.*

102. Qui divinum officium sine ope socii recitare potest, tenetur illum adhibere, modo commodè adhibere possit, & non sit furdus; imò beneficiarius debet illum pecunia conducere, dum illius opera gratis non conceditur, & reditus sufficientes habeat. *ibid. nu. 8.*

103. Qui choro interesse debet, & potest, tenetur interesse, etiam si furdaster sit. Item cæcus choro deputatus satisfaciet muneri chori, recitando partem quam memoriter tenet; & quam cum aliis recitare potest. Præterea cæcus, si defectu memoria nihil discere potest, tenetur audire officium omnia dicentem, & cum eo dicere versus ad se pertinentes, si commodè potest. *ibid. num. 12 & seq.*

104. Infans, cui facta fuit beneficii aut sacrorum ordinum collatio ante rationis usum, non tenetur ad horas Canonicas; imò neque in adolescentia, nisi ordinis susceptionem ratificaverit postquam ad rationis usum pervenit. *ibid. n. 16.*

105. Dispensatio Summi Pontificis etiam concessa sine causa; carentia fructuum, quando scilicet beneficiarius non percipit, nec percipiurus est fructus beneficii per se, aut per alium; ignorantia probabilis legis, naturalis oblivio, seu inadvertentia, excusant omissionem divini officii. Adde potest etiam pro causa excusante, metus gravis incommodi. *ibid. punct. 3 num. 1. 3. 6. 8. 9 & 12.*

106. Qui ordinem sacrum vel beneficium habet, tenetur ea parare quæ ad officium recitandum necessaria sunt, alioquin peccat exponens se periculo faciendi contra proprium officium. *ibid. num. 10.*

107. Dubitans an Psalmum, Antiphonam, vel quid simile recitaverit, non tenetur iterum recitare, quia via infiniti scrupulis aperiretur, & semel repetita sæpius repeteretur. *ibid. num. 12.*

*An extet obligatio recitandi officium in choro.*

108. Clerici Ecclesiarum Cathedralium & Collegatarum obligantur ad officium in choro singulis diebus prestandum, nisi aliud ferat consuetudo vel Ecclesie institutio. fieri enim potest, ut ex beneficiorum institutione Canonici non teneantur singulis diebus interesse. Idem valet in casu necessitatis. *ibid. disp. 2. quest. 1. punct. 1. num. 2. 3. & 6.*